



Ericus apud Septentrionales populos eo tempore quo Christus homo natus est, in magna authoritate fuit. erat enim multis uirtutibus & singulari facundia præditus: præterea manu adeo proptus, ut multos duello prostrauerit, atq; ubique uictor extiterit. Itaq; Frotho Danorum rex eum suis iopis prefecit, atq; per eum terra & mari res maximas præclare egit. Accidit autem cum Ericus ad regem ueniret, quod Frotho sororem Gunuaram ingenti paterna aurea potionem proferre iussicerit. Tum Ericus puellæ formam admiratus, eius dextrā cum oblatō poculo corripuit, atque regem allocutus dixit: An hoc, regum optime, munus tua mihi delegavit humanitas? Num mihi quod teneo irreuocabilis doni loco cessurum confirmas? Rex pateram tantum postulari ratus, donum pronunciavit. Itaq; Ericus uirginem sibi ueluti cum patera datam comprehendit, & eam uxorius loco esse dixit. Rex errore promissi cognito, puellam tradidit, atq; ne leuior haberetur, uxorem esse iussit. Habebat Ericus Rollonem fratre, qui & ipse multa uirtutis documenta edidit, atq; cum fratre Danorum regnum plurimum euexit. Postea uero ipse Alrico rege Sueonū imperfecto, rex Sueonum & Gothorum omnium consensu ob uirtutes electus est. Regna illa, sopia his hinc inde procerum odijs, tanta industria per plures annos gubernauit, ut merito inter principes heroes, quibus unquam Aquilonaria regna subiecta fuerunt, connumeretur. Facundia quoq; ita pollebat, ut Diserti cognomen adeptus fuerit. Proinde multis bellis prospere confectis, sese ad pacis studia couerit, & alios suo exemplo ad uirtutes excitauit. Cum hoc modo feliciter degeret, anno regni sui tricesimoquarto æternus Dei filius ex Maria uirgine homo factus est, dum ubiq; terrarum Dei mirabili cōfilio alta pax constituta esset. Tandem Ericus se mortalem declarando obiit, & regali funere elatus honorifice sepultus fuit, Ioan. Mag. in Hist. Suet.